28

DISPUTATIO MEDICA,

De ea

MELANCHOLIÆ SPECIE

quâ affectæ

Pro Sagis vulgò habentur.

quam

Sub Præſidio

DN. FRIDR. CHRISTIAN. WINCLERI, D.

S. E. P. A. & in hac Academia P. P.

publicè ventilandam exhibet

WILHELMUS OHM, Spirâ Palat.

Ad Diem Septembr. A. 1681.

HEIDELBERGÆ,

Liter. ABARHAMI LUDOVICI WALTERI,

ELECT. & UNIV. Typogr.

BENEFACTORIBUS

MAXIMIS &

MAGNIS

PRÆSENTIBVS &

FVTVRIS

MEIS.

Hanc Diſputationem

Humillimè & devotiſſimè

D. D.

Wilhelmus Ohm,
Spirenſis,
A. & R.

Præfatio.

Iraberis fortè, Amice Lector inſcriptionem ſ. Tit. Diſputationis noſtræ; Forſan n. videbimur tibi aut nullas admittere ſagas; aut omnes pro delirantibus Melancholicis habere; aut falcem in alienā meſſem immittere, dum curationem Medicam earum ſuſcipiamus, quæ ſaltem Juridico illo URE, SECA, i. e. igne & gladio curabiles eſſe creduntur. Errares verò craſſè, ſi hæc tibi perſuaderes: Uti enim tales ſagas, quæ (etiam ſaniſſimæ) pactum cum Diabolo ineunt, non negamus dari: Ita quoq; credimus multas pro ſagis diabolicis mactatas fuiſſe, quæ innocentiſſimæ erant hujus peccati & quæ vel violentia tormínum vel ex delirio Melancholico eò adactæ fuerunt, ut ſe ſagas eſſe confiterentur.

Cùm itaq; in hac noſtra Diſp. tantùm de poſterioribus his intelligi velimus, tertium ſua ſponte cadit: Crudeliſſima enim eſſet illa meſſis Juridica, quæ in innocentium ac ægrotantium vitam, fortunam, famam, imo ſpem æternæ ſalutis falcem immitteret. Non aliena itaq; ſed Medica meſſis eſt, diſtinguere melancholicas à diabolicis ſagis; Medici eſt ſervare & ſanitati reſtituere tales putatitias ſagas; Medici ceu benigniſſimæ manus Jehovæ eſt, tales miſeras ex mortis inhoneſtæ & ipſius Orci faucibus quaſi eripere & nebulas lumini rationis infeſtas feliciter diſpellere, ſi Deus curationi dextræ clementer benedixerit. Tuum itaq; erit, B. L, de Chriſtiano noſtro propoſito & verè Medico conamine benignè judicare, & ſi quid contra tuam opinionem vel veritatem hîc affirmatum eſſe credideris, priusquam illud damnes ritè

examinare, neq; affectibus aut præconceptis opinionibus tuis nimium indulgere; quod reliquum eſt, ut homo, nec à te etiam humana aliena putabis.

Theſ. I.

UT verò Melancholicam ſagam eò feliciùs deſcribere, & affectum cum cauſis ſuis detegere poſſimus, non inconveniens erit in ipſo limine hîc inquirere, quid ſit affectus Melancholicus. Cumque *conveniant rebus nomina ſæpe ſuis*, & Gal. method. med. l. 2. cap. 2. moneat diligenter inſpiciendam eſſe, nominum diverſitatem, quam ægritudinibus impoſuerunt primi ipſorum Authores (cùm ea ſine ratione impoſita ſint nunquam) meritò & nos primò videbimus Melancholiæ definitionem nominalem.

II.

Si itaq; Paracelſum de Melancholiæ nomine quæremus, reſpondebit nobis tractatu de ſtatu humano cap. 6. Melancholia collectitium nomen eſt, ex multis mendaciis conſutum, ac variis proprietatibus ſignatum; quæ tamen in iſta complexione non inveniuntur nec conſiſtere poſſunt.

III.

Mitiùs alii reponent, Melancholiam dici ἀπὸ τῆς μελαίνης χολῆς, à cauſa putatitia, ut refert Clariſſ. Strauſſius ex Gal. l. 3. de loc. affect. cap. 7. Palæſtra ſua Medica practica Parte 1. Gymnaſmate 12. pag. 177. Germanis dicitur die Melancholie / Schwermütigkeit / traurige Gedancken / Melancholiſche Kranckheit oder Fabeley.

IV.

Aliás Melancholia dicitur quibuſdam affectus Melancholicus, deſipientia vel dementia triſtis, inſania meticuloſa, μισανθρωπία; aliis Nidus Diaboli, Flagellum Medi-

corum

corum, Hydra Lernæa Polypus vel Proteus, aliis Virgilii illud monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum: aliis aliter. Quibus denominationibus partim abditam partim periculoſam hujus affectus naturam, partim varios typos & conjunctiones, partim etiam difficultatem Curationis Autores indicare voluerunt.

V.

Sed quum hæ denominationes Melancholici affectus parum ad ſcopum noſtrum facere videantur; meritò exactiorem quærimus deſcriptionem. Paracelſus in herbario tit. de Corall. dicit, Melancholia eſt morbus hominem invadens, ut nolens volens evadat triſtis, omnium pertæſus, lentus, variisq; ſpeculationibus abripiatur ad mœrorem & ploratum &c. Idem Paramiro tract. 3. cap. 10. Aciditas eſt Melancholia; Quicquid enim acidum eſt, frigidum & ſiccum exiſtit; Et hoc ſub appellatione Melancholiæ intelligitur. idem de morbis ex tartaro ortis tract. 2. inquit, Melancholici ſunt, qui ex intimæ naturæ vitio à ratione deturbantur, & ad veſaniam præcipitantur: Sic Hercules Saxonia definiturus affectum noſtrum dixit: cap. 16. Prax. Melancholia nihil aliud eſt, quam depravata functio Princeps ad timorem & mœrorem citra cauſam & absq; febre ex ſpiritu animali vitiolo & tenebricoſo reddito. Sic alii aliter deſcribunt.

VI.

Nos, ut eò exactiùs depingere poſſimus affectum noſtrum, intuebimur priùs ea indicia ſive ſigna quibus præſentibus hominem Melancholiâ laborare dicimus. Diligentiſſimè verò ea obſervavit, qui Ipſe hoc affectu affligebatur, Celeber. Williſius; Hic Melancholicis annumerat illos, qui continuè cogitant, pauciora tamen ſolito animo comprehendunt; graviora negligunt, circa leviora vel ima-

ginaria nocte dieq; occupantur. Objectorum verò vel conceptuum ideas ſæpè deformes & larvatas intuentur, ad hunc modum phantaſmata (ut Ipſe docet) in cerebro malè configurata intellectui objiciuntur, ſimili ferè ritu ac ſpecies viſibilis vitri cujuſdam optici interventu oculo ſiſtuntur: Ubi nimirum objectum quodvis monſtrum horrendum, ac ingens apparet & propterea rei viſibilis in immenſum auctæ portio tantum exigua aſpectu accipitur; dein propter horrendam ac immenſam φάσιν imago ſemel concepta non facilè nec cito dimittitur.

VII.

Errant verò Melancholici, vel circà omnes vel plurimas res; vel ſaltem in uno aut altero particulari. Nec quicquam tam abſurdi & inepti excogitari poteſt, quod ipſum ſibi pro vero nonnulli Melancholici perſuadere non poſſint. Teſte Sennert. Prax. med. l. 1. part. 2. Cap. 8. Et Bauſchio in proœmio de Cœrul. & Chryſoc. pag. 1. & 2.

VIII.

Certi verò gradus Melancholicorum nonnullis ſtatuuntur, ſunt nempè qui tantum triſtes, moroſi, ac tetrici (ut loquitur Tappius Diſſertat de Princip. ſive internorum ſenſuum & funct. læſion. pag. m. 39) hominumq; ſocietatem averſantur. Secundo ſunt, qui præterea jam abſurda ſibi imaginantur & metuunt, licèt ſciant ſe falſa ſibi perſuadere. 3tio ſunt, qui ſemel conceptam falſam imaginationē firmiſſimè retinent, & ſibi perſuadent, revera rem ſe ita habere, ut fabulantur: Hi quoq; in omnibus ſuis actionibus & verbis delirantes eſſe videntur.

IX.

Quæ ipſa facilè illuſtrantur à Celeber. Bauſchio p. m. in Schediaſmate poſthumo de Cœrul. & Chryſocoll. in proœmio Melanchol. Hiſtorol. Licèt verò in certas claſſes vari-

antia admodum deliria Melancholicorum ægrè reduc poſſint. Nos tamen redigemus in ſequentes claſſes, nempè qui delirant primò ex timore, 2do triſtitia, 3tio ira, 4to qui delirant cum gaudio, 5to ex ſuperbia, 6to ex certo vitæ genere, 7mo pro diverſitate cupiditatis, 8vo pro diſpoſitione corporis variæ variè, 9no ex affectibus mixtis, 10mo ex putatitia operatione diaboli vel faſcinatione.

X.

Timidum itaq; delirium Melancholicum dari demonſtrat exemplum recens cujuſdam Civis hujus Urbis, qui ab Excell. Dn. Præſide jam bis ſanitati reſtitutus fuit, is januas omnes cautiſſimè occludebat, ciſtis aggeratim muniebat, deinde feneſtras aperiebat, & flexis genubus per Dei atque hominum fidem, cum fletu & ejulatu auxilium poſtulabat, contra milites quos credebat adeſſe præſentes ut ipſum ad carceres & ſupplicia traherent, licèt nullius ſceleris commiſſi conſcius eſſet: videatur & Foreſt. l. 10 obſerv. 12.

Huc etiam pertinent illi qui ineptiſſima ſibi perſuadent indeq; pericula timent. Ita quidam putabat ſe vas fictile eſſe & inde timebat, ne frangeretur ab hominibus. Ita Thom. Barth. Hiſtor. Anatom. cent. 2. hiſtor. 26. dicit, Medicus quidam Venetus Eruditus quotannis ſubtecto ſedens toto menſe commorabatur, metuebat nempe ſibi ne frangeretur, ſi in parte inferiori ædium conſiſteret, cùm vas teſtaceum ſe crederet: finito menſe ad mentem ſanam & ſolita officia reverſus eſt. Alius ſe laterem eſſe credens, bibere recuſabat, ne humore diſſolveretur, Aerid. l. 1. cap. 6. Andr. Laurent. Diſc. de Melanch. pag. 75. Alii ſe vitreos eſſe credebant, & frangi timebant, ut refert cit. Auth. ex Querc. Diæt. Sect. 1. cap. 9. Alius vitreas nates ſe habere putabat, & ſedere nolebat, ut refert Lev. Lemn. de complex. l. 2. c. 6. p. 141. Huc pertinet illa Hiſtor. Barthol. cent. 1. hiſtor. 79. de inſigni

Amſte-

Amſtelodamenſium Pöeta, qui itidem credidit nates ſibi eſſe vitreas timuitq; rupturam ſi conſideret. Ita de alio Laud. Laurent. cit. loc. ſcribit, ipſum finxiſſe, ſe pedes vitreos habere. Referri quoq; hic poteſt hiſtoria, quam notavit Tulpius obſervat. med. lib. 1. cap. 1. de inſigni pictore, qui ſibi perſuadebat omnia ſua oſſa, ob ſummam mollitiem complicari, & ex Marc. Donato hiſtor. med. mirab. lib. 2. cap. 1. de Piſtore Ferrarienſi, qui jurabat ex butyro ſe conſtare, nulloque pacto ad ignem vel clibanum accedere volebat, timens, ne calor illum diſſolveret. Sic alii coriū ſe eſſe imaginabantur, vel cutem ſiccis pellibus ſe habere ſimilē timebant. Obſervante Foreſt. loc. cit. Trallian. & Aetio Tetrat. l. 22. cap. 9. Alii mundum vitreum & homines ſerpentes affirmabant; inde in lecto decumbebant, ne egredientes mundum frangerent & à ſerpentibus conficerentur, ut videre licèt ex Johan. Baptiſt. Montani Conſil. 23. & Sennert. Inſtit. Med. lib. 2. part. 3. ſect. 1. cap. 7. Sic Lyſander Poëta ſibi timebat, ne propriæ umbræ à qua deſtitutus eſſet, occurreret, Maſcardus num. 37.

Alii, de neſcio quibus morbis corporis timent & conqueruntur de gravioribus ſymptomatibus quàm revera adſunt, ut docet Capivaccius in Conſil. Scholzii 179. Ita quidam Genevenſis ſibi imaginabatur, ſe calculo veſicæ laborare: Henricus ab Heer obſervatione 27. & Tribunus militum Polypum ſe habere credebat, narrante dicto Luſitano loc. cit. Ita Gallus quidam conqerebatur de apoſtemate lateris dextri, quod non Ens erat, qui tamen aſtutè curatus fuit à Medico, ut refert dictus Author cent. 6. Curat. 42. quam hiſtoriam paulo aliter refert Rodericus à Caſtro in Medic. Politic. l. 3. cap. 13.

Alius cornua cervina capiti annexa eſſe (Sennert. Inſtit. Medic. lib. 2. part. 3. ſect. 1. cap. 7.) Alius paſſeres ſe in

cranio habere credebat, donec Medico eos per nares extrahere ſimulante ſanitati reſtitutus fuerit, ut refert laudat. Author loc. cit. Alius aciculam in gutture hærere (Petrus. Borell. cent. 3. obſerv. 69.) Alius clavum ſe deglutiviſſe (Thom. Barth. cent. 1. hiſt. Anat. 79. Alius ventrriculum ſi ſurgeret in ſcrotum delapſurum timebat, indeq; perpetuò decumbere volebat, Authore Henric. ab Heer obſerv. rarior. 27. Sic alius ſibi perſuadebat naſum in immenſum excreviſſe atq; in prodigioſam longitudinem exporrectum, ſicut Elephantis proboſcidem circumferre viſus ſit, qui nusquam non eſſet impedimento; adeò ut nullæ portæ illi perviæ eſſent, & naſus ſubinde patinis, ut illi creditum eſt, innataret, (Levinus Lemn. de complex. lib. 2. c. 6. Andreas Laurent. loc. cit. pag. 72. Joh. Rudol. Camerarius ſyllog. rer. memor. part. 1. Ita alius naſum inſtar bubuli pedis ſe habete conquerebatur. Foreſt. lib. 10. fol. 13. Alius plebejus Vir ſanguine Melancholico turgens, naſum in eam magnitudinem excreviſſe im[a]ginabatur, ut publico abſtineret, ne à prætereuntibus conculcaretur (ſunt verba Thom. Barth. cent. 1. obſerv. Anat. 79.

Ita ex Tulpio obſerv. l. 1. c. 19. refert ſæpiùs laud. Bauſch. cit. loc. uxorem Salomonis Galeni credidiſſe in Vulva ſua contineri molam vivam interimendam à Medico. Ita alius viperam (Platerus prax. ſuæ Tom. I. lib. 1. cap. 3.) Alia ſerpentem (Alexand. Trall. l. 1. cap. 16) Alii ranas ſe in ventre alere credebat, qualis erat ille, de quo loquitur Manlius libello Medico pag. 747. Et Mulier quæ ranas ſe ventre geſtare perſuaſa erat, de qua Heurnius method. ad praxin lib. 3. cap. 28. Et alius quidam Hypochondriacus, qui bufones inteſtina & ventriculum perterebrare ſibi perſuadebat, Auth. Lev. Lem. de complex. l. 2. c. 6 Et Studioſus, qui ſe fœturam ranarum in aqua profluente hauſiſſe, indeq; vivam

tanam in ventriculo vel in inteſtinis hærere, & illic ex cibo & potu aſſumto vivere certò ſibi imaginabatur. De quo Platerus obſerv. lib. 1. pag. 50. & ſequentibus, & praxeos tom. 1. l. 1. cap. 3.

Alii ſe nunquam dormire mordicus defendunt, quale exemplum refert Valeſcus de Taranta Philon. lib. 1. cap. 13. de propria matre, quæ jurabat ſe ſeptem menſibus nihil dormiviſſe: & nobiliſſimæ illius mulieris, quæ per duos annos: item juvenculæ viduæ Venetianæ valdè obeſæ, quæ ferè ſemper dormiebat, & commedebat; interim, utrumque ſe feciſſe negabat, ut conſtat ex Hercul. Saxon. Panthe. Med. l. 1. cap. 16. Velillius Matronæ, quæ per 30. annos & ultra ſe non dormiviſſe dicebat; de qua Montuus & Prævotius atteſtante ſæpe antea laud. Bauſchio. *Alius* brachio & crure ſe privatum eſſe firmiſſimè credebat, perterritus á crocodilo, de quo Laurent. loc. cit. pag. 72. *Alius* ſe caput plumbeum habere; *Alius* ſe capite carere (de quo inter alios Foreſtus lib. 10. obſervat. 12. & Thom. Barth. cent. 1. hiſtor. 79. *Aliique*) *Alius* ſe agonizare & modico interjecto tempore exſpiraturum credebat, qualis inter cæteros moribus & doctrina laudabibilis Presbyter, cujus mentionem facit Paulus Zacchias, quæſtionum Medico-legal. lib. 2. tit. 1. quæſt. 9. §. 17. Sic alius crura deſtitui ſuris (Tulpius obſerv. l. 1. c. 50. *Alius* ita craſſum ſe eſſe, ut conclavi exire non poſſet fingebat. Huc referri poteſt exemplum Demophontis *Alexandri* M. œconomi qui ſe ad æſtum ſolis infrigidari & in opacis nemorum umbris æſtuare credebat. Item *Ardonis Argivi* in ferventiſſimam Lybiæ eremum ad frigus captandum decurrentis; ſimile quoq; exemplum refert Zacut. Luſitan. Hiſtor. Med. Principum l. 1. de quodam qui perpetuò ſe frigere arbitrabatur ſicq; ardente Syrio ad ignem continuò accedebat, & tamen, ſe non poſſe calefieri affirmabat, &

cum

cum clàm fortiterq; ter in ignem ſe projeciſſet, tandemq; catenis vinctus eſſet, diem noctemq; inſomnes ducebat, & hac miſerabili imaginatione detentus ſemper juxta ignem ſedebat.

Alii venenatum pharmacum ſe accepiſſe timent, ubi ſentiunt viroſos ac peregrinos ructus, qui ipſis Melancholicis frequentes adſunt. Alii milii ſemen ſe eſſe imaginabantur & à gallinis deglutiri timebant, refer. Quazzo de civili converſat. l. 1. pag. 10. Ita quidam omnium mortalium miſerrimum ſe eſſe prædicabat, ideò quod nihil eſſet, refer. Laurent. cit. loc. pag. 37. Alii mortuos ſe eſſe crediderunt, ut refert Mannlius lib. cit. pag. 744. 745. Foreſt. lib. 10. obſerv. 12. Hollerius de morbis internis lib. 1. cap. 17. Levin. Lemn. de complex. lib. 2. c. 6. Solenander conſil. Med. ſect. 5. c. 15. &c. Aliæ ſe boves eſſe timuerunt, quales Regis Argivorum Prœti filiæ, quæ à Melampode Amythaonis Medici Clariſſ. filio curatæ fuerunt, refer. ſæpius laudat. Bauſch. loc. cit. qui addit, inter præſidiarios milites Cæſareanos Svvinforti fuiſſe quendam, qui conſtantiſſimè affirmabat ſe per aliquot annos aſinum fuiſſe, & aſini onera ſuſtinuiſſe; poſtea eſu liliorum alborum denuo tranſmutatum fuiſſe in hominem. Ita & huc referri poſſunt λυκανθρῶποι, qui ex corrupta imaginatione ſe in lupos transmutatos eſſe credunt, de quibus non ſaltem varia collectanea apud jam dictum Authorem: ſed etiam apud Deuſingium de Lycanthropia & alios plures, videri poſſunt; talesq; homines dari vidit Excellent. Dn. Præſes in patria ſua.

Ita quidam ſe animam eſſe dicebat & proinde nullum victum admittebat referent. Joh. Heurnio method. ad. praxin. l. 3. c. 28. Alia virgo & quidem ætate provecta duos puerulos utero ſe geſtare affirmabat; quorum alterum in dextro latere minorem, in ſiniſtro latere majorem, eſſe, ſibi per-

 ſua-

ſuadebat; unde dicere ſolebat **Mein Kleiner**; Refer. p. m. Bauſch. cit. loc. Alius ſi urinam redderet, totam urbem diluvio perituram timebat, Marc. Donat. lib. 2. cap. 1. hiſtor. memorab. Ita alius in Anglia mejere noluit, ne ſanguinem univerſum corporis per urinam excerneret: hinc filo Penem arcte per dies aliquot conſtrinxit, quo tumido parum á morte abfuiſſet, niſi à fratre vi vinculum fuiſſet, ſolutum: Vidit iſtum & familiarem novit Samuel Collinus Anglus Med. D. amicus meus Monſpelii intimus (ſunt verba Barth. hiſtor. Anat. cent. 1. hiſtor. 79.) Trallian lib. 1. cap. 17. vidit mulierem, quæ ea imaginatione vexabatur, ut medium manus ſuæ digitum conſtringeret, tanquam in ipſo totum geſtaret orbem, quæ plorabat & verebatur, ne quando digitum inflecteret totus orbis corrueret & omnia ſtatim interirent, Sennert. lib. 2. Inſt. Med. part. 3. ſect. 1. cap. 7. Alius timebat, ne Atlas, qui mundum ſuſtinere dicitur, ipſum à ſe excuteret & ita ipſe quoq; periret; ex Galen. lib. 3. de loc. affect. 6. cap. Alii cœlum ruiturum timent; ex Serapionis pract. tract. 1. c. 22.

XI.

Alii ſuſpicioſi ſunt & diffidentes, ut patet ex Foreſt. lib. 10. obſervat. 19. & Platear. prax. de ægritudinibus capitis, cap. 5. Alii timent æternam damnationem, qualis fuit virgo honeſta Francothalenſis, quæ poſt aſſiduam lectionem & meditationem Bibliorum & aliorum ſcriptorum Theologicorum, tandem ſibi perſuaſit cum Caino, peccata ſua majora eſſe, quam ut ipſi remitti poſſent, & tandem, cum ſolatium nullum admitteret, laqueo vitam finiebat. In eandem calamitatem fere incidiſſet vidua quædam pia Paſtoris Eccleſiæ; item civis alius in hac ipſa urbe, qui adhuc in vivis & ſanus eſt, videatur etiam Foreſt. loc. cit. & obſervat. 13. & 15. Item Rodericus à Caſtro in Med. Polit. lib. 3.

cap.

cap. 13. Item Valeſcus de Taranta Philon. cap. 13.

XII.

Alii ipſorum ex nimia triſtitia tanto torpere afficiuntur, ut etiam loqui recuſent, qualis fuit Studioſus ille Suinfurtenſis, Illuſtris Bauſchii cit. loc. cui verbum nullum neq; verbis, neq; minis, neq; blanditiis extorqueri poterat, qui primò ſupra modum commedebat, poſtea cibus illi ſicut infantibus in os erat ingerendus. Ita alii mortem ſummopere exoptant, & tamen formidant; Valeſc. de Tarant. Phil. lib. 1. cap. 13. Avicenn. lib. 3. fen. lib. 1. cap. 4. tract. 19. Ita quidam credebat ſe ſine anima vagari, ſecundum Maſcar. Huc & pertinere videtur exemplum illius religioſi Patavini, Prævotii, qui juſſus ambulare indeſinenter ambulabat, juſſus ſedere continuo ſedebat, juſſus os apertum tenere, tenebat ſemper apertum. Item mulieris, cujus mentionem facit Tulp. lib. 1. cap. 19. quæ firmiter credebat, ſe fato functam eaq; conditione à Deo in mundum demiſſam, ut viveret deinde excors: corde ſuo enim à Deo retento, doluit intenſe, aliam ſibi eſſe quàm aliorum mortalium vitam. Ita triſti etiam delirio Heraclitum Epheſium laboraviſſe, ſecundum Foreſt. lib. 10. Schol. obſervat. 13. Theophraſtus putavit, cum enim Idem Philoſophus jugi planctu miſerias, & calamitates hominum deploraret, totus ſeniculus lacrymis fere difflueret ob cœcas hominum mentes, ſolitudines inſuper amaret, impuro ſordidoq; victu aleretur, obſcura quoq; & confuſa ſcripſiſſet, & tandem hydropicus factus interiiſſet, Melancholicis triſtibus potius quam Philoſophis videtur annumerandus.

XIII.

Moroſum vel iracundum delirium in illis Melancholicis obſervatur, qui aſſidui ſunt in ira, contentione & moroſitate, odioq; habent homines, ita ut amicos & familiares

averſentur, & eorum vitæ, quos intimè amant, inſidias ſtruant; Ita ex Plat. l. 1. obſervat. notum eſt exemplum fœminæ illius, quæ à Melancholico delirio impellebatur ad maritum confodiendum, Huc etiam referri poterunt exempla illorum, qui ſe Dæmones vel leones vel lupos eſſe credunt & mirâ crudelitate in homines brutaq; ſæviunt. Ut teſtis eſt Avicennas l. 3. fen. 1. c. 19. & 9. Et Philippus Camerarius in opere horarum ſuccivarum cent. 1. c. 72. Vidit & talem Lycanthropum in patria captum Parchvvizii Excellentiſſ. Dn. Præſes; erat nempe ruſticus quadratus & lacertoſus, hirſutus admodum quoad mentum & pectus, qui poſtquam ex conflagratione ædium in inſignem triſtitiam delapſus in eaq; per duos annos & quod excurrit miſellam vitam transegiſſe; tandem moroſus & deſperabundus quaſi factus in ſylvas abiit, ita ut mortuus crederetur: donec tandem effluxo anni ſpatio in ſylva propinqua, dicto loco latitare inciperet, & de die & nocte inſidias ovibus ſtrueret, ipſisq; paſtoribus non abſtineret, ſed morſu quantum poterat, laceraret & violaret, indeq; in ſylvas cum præda ſe reciperet: is tandem captus loqui recuſabat, minis & geſtibus lupum referebat, atq; ubi quærebatur, an lupus eſſet, capite annuere recuſabat; Qui miſellus tandem ibi loci detruncatus, obiit. Referunt alii huc etiam exemplum Nebucadnezaris.

XIV.

Ita moroſis ſive iracundis illis Melancholicis annumerari poſſunt illi, qui ex delirio Melancholico blaſphemi ſunt erga Deum vel ad abnegandum Deum impelluntur, de quib⁹ videatur Borell. in obſerv. commun. ab Iſaaco Cattierio obſerv. 6 & Schol. ſequent. Ubi juvenem introducit, qui cum ſolus in cubiculo verſaretur ab aliqua interna vi diduci & aperiri buccas, linguam moveri & ad vocabula plurima proferenda impelli conquerebatur atq; ſæpe lingua &

labiis

libiis commotis vocem in faucibus formari & dearticulari, cujus miniſterio quæcunq; in vita patraverat flagitia ipſi exprobrabantur, & ad Deum abnegandum cogebatur & impellebatur his verbis; *Abnega, abnega Deum.* Ejuſmodi exemplum *P*laterus lib. 1. obſervat. pag. 44 & 45. de aliquo refert; qui veluti per acceſſiones ad impia quædam in Deum efferenda ſtimulabatur. *I*dem de muliere quadam alias religioſa narrat, quæ tacite ad maledicendum & blaſphemandum Deo ſe cogi confitebatur.

X V.

Sed pergimus ad deliria læta & jucunda; Hæc quamvis in Melancholicis dari, abſurdum & contradictio in adjecto videatur, Melancholiam delirium lætum appellari, attamen per intervalla etiā læta in Melancholicis dari deliria patet ex ſequentibus. Nempe quidam in paroxyſmo hypochondriacus cantabat, ſaltabat, ridebat, poſt horam vero ſe absq; capite eſſe in angulo ſedens, dolebat, donec Medicus ad ſpeculum deducto verum caput monſtraret. Teſt. Joh. Agric. comm. in *P*oppi Chim. part. 2. p. 652. Sic Theophilus Medicus aliàs prudenter diſputans, prave imaginabatur tibicines quoſdam angulum domus occupantes & aſſidue ſonantes & inſolenter pulſantes, Gal. de ſympt. diff. cap. 4. Non deſunt etiam mente capti, qui reſipuiſſe ſe intenſe deplorent, cum habuerint deliria ſuavia, jucunda & læta. Thraſyllus quidam Eſonenſis, (ut Ælian. & ex eo Agellius refert,) in eum errorem incidit, ut omnes ſuas in portum appulſas naves eſſe putarit atque eas ſummo deſiderio expectaverit, & tandē magno cum gaudio exceperit. Foreſt. lib. 10. obſervat. 19. mentionem facit mulieris Melancholicæ, quæ frequenter canebat, & cantiunculas hymnosq; cantabat quos nunquam didicerat. Eadem phantaſia deceptus vir Argenſis in vacuo ſedebat theatro & ſe miros tragœdos audire videbatur, at-

que

que inde plaudebat; notante Lemn. ex Horatio. Huc etiam ſpectare poſſunt illi, qui, cum tamen revera ſint Melancholici, interdum effuſiſſimo cacchinno ſuper re leviſſima vere ſuffocantur, reliquo vero tempore mœrore conficiuntur; Quale exemplum inter alia in virgine Nobili Palatina obſervavit Excell. Dn. Præſes. Ita alium quendam Marc. Rulandus cent. 2. cur. Empir. 47. tradit, illum longo tempore afflictum vigiliis, riſiſſe, cibos recuſaſſe, cantaſſe, verbaque Latina Germanis permixta protuliſſe. Talem quoq; Valeſc. de Taranta curavit, qui continuo, maxime vero in plenilunio, ridebat. Phil. l. 1. c. 13. Democritum quoq; hoc affectu laboraſſe Hipp. autumat in epiſt.

XVI.

Cum deliriis his etiam connecti poteſt delirium ſuperbum, cum Melancholici fuerint, qui ſe Reges aut Imperatores factos eſſe putarint. Sic aliquis fuit Canemas nomine, Catcamus, qui furens gladio Ferdinandum Arragoniæ Regem confodere conabatur, eo quod Regem ſe futurum interempto Ferdinando ſperaret. Sic muliercula ſe Regi eſſe deſponſatam perſuaſum habuit, Marc. Donat. hiſt. Med. mirab. lib. 2. c. 1. Quidam mundum ſe ſuſtinere putant, Platear. pract. de ægr. ap. cap. 5. Huic adjungimus illos, qui refer. Seneca, maxima expetunt, parvos homines abominantur, prægrandes equos peroptant &c. Sennert. loc. cit. Alii quotidie novis veſtibus exuendis & rurſus induendis delectantur. Plater. pract. tom. 1. lib. 1. pag. 89. ſunt etiam qui divina affectant & colloquia cum Deo & angelis ſomniant, Valeſc. de Tarant. Phil. l. 1. c. 13. Aliam ſuperbiæ ſpeciem legimus de quodam. qui Dei filium ſe vocabat, & poſt mortem tertio die reſurrecturum dicebat chron. Erffurt. MScr. ad annum 1350. Hic ſe Deum & ſanctum eſſe dicebat. ita alius fingebat ſe eſſe Antichriſtum, quod neque

frigus

frigus, neq; famem, ſitim, nec alia pateretur, cum nudus per triduum flexis genubus vixerit.

XVII.

Alii pro diverſitate officii vel vitæ genere delirant: Notum enim eſt, ſi ſacerdotes Melancholia corripiuntur, illos precationes murmurare, ut loquitur noſter Bauſch. & de templis conſtruendis cogitare: Ita rabulæ forenſes deliria habent de arreſtis, libell. ſupplicibus & ſimilib⁹. Poetæ verſus ſemper componunt ridiculos &c.

XVIII.

Ita etiam pro varietate affectuum vel inclinationum variè deſipiunt; Avari nempe de divitiis corradendis vel etiam amiſſis, delirant: ſuperbi de veſtibus & annulis gemmisq; pretioſis cogitant: voluptuoſi voluptuoſa, iracundi iracunda, habent deliria. Huc etiam referri poſſe videntur exempla, quæ ex Plater. Joh. Camerar. Libavio, Valeſc. de Taranta aliisq; Authoribus l. c. celeberr. Bauſch. refert, de muliere, quæ ex longa mariti abſentia Melancholica facta, omnibus iracundè & inepte reſpondens; cum maritus inopinato ſe illi ſiſteret; illum amplexa multoq; gaudio perfuſa, ſine ullo alio remedio ad ſtatum naturalem rediit. Item de alia muliere, quæ melancholicè delirabat, quoties timeret ſe morituram, & inde maritum aliam in uxorem ducturum; hinc Zelotypæ frequenter fiunt melancholicæ, ut videre eſt ex Valeſc. de Tarant. Philon. l. c. 13.

XIX.

Ita etiam pro diſpoſitione corporum varia Melancholici varie delirare ſolent, ut Sennert. l. 1. prax. part. 2. c. 8. docet. Habent enim hæc pathemata ſua lucida intervalla, & certis temporibus vel anni tempeſtate, vel Lunæ mutatione, præſertim in mulieribus puerperis, vel menſtrua patientibus, (Plat. tom. 1. lib. 1. c. 3.) obſervantur. Ita ſub initium

Veris & Autumni litteratus ille apud Hildesheimium; ſub canicula Medicus ille Venetus; in plenilunio ridens ille Valeſci de Tarant. Februario menſe & nocte potiſſimum lycanthropi, deliria patiuntur. Huc pertinent etiam illi, qui omnia nigra timent & nigris veſtimentis indutos homines. item qui ſemine turgidi deperire ſolent fœminas, etiam anus.

XX.

Alii Melancholici mixtos habent affectus, quales obſervantur in deſperantib⁹ & violentas manus ſibi injicientibus, Gal. l. 3. de loc. affect. cap. 6. qui ſe vel in fluminibus ſuffocant, vel in puteos conjiciunt, vel globulo ſclopetario ſe lethaliter vulnerant, vel laqueo vitam finiunt; vel fauces cultro ſibi abſcindunt, vel gladio ſe confodiunt, vel venenum hauriunt; de quibus omnibus exempla probe novimus. videri etiam poſſunt ex variis Authoribus citante celeb. Bauſch. in cit. proëm. pag. m. 45. 46.

XXI.

Dantur & aliæ plures ſpecies delirii Melancholici, quas ſtudio prætereo, potiſſimum ſaltem adhuc illam Melancholiæ ſpeciem producens, quâ affecti homines aut incantati aut obſeſſi á Dæmone, aut ſagæ eſſe creduntur. Sic Thom. Barthol. cent. 2. hiſtor. tract. 26. narrat, pharmacopæum quendam Patavinum ſe ab inimico faſcinatum eſſe credidiſſe, cum tumore gulæ vel angina affligeretur. Item Spoletanus ille, qui idiomata ignota ſibi loquebatur, de quo Eraſ. Roterod. in Encom. Med. Item mulier, quæ cantiunculas quas nunquam didicerat, cantabat; Foreſt. lib. 10. obſervat. 16. Et Ruſticus qui carmina Latina ſemper Luna exiſtente combuſta, componebat, & transactà combuſtione ad aliam lunæ mutationem, ne verba quidem Latina proferre potuit. Item exempla, quæ Bauſch. cit. loc. refert pag. 38.

in

in princ. Huc quoque pertinent, qui dæmones ab inimicorum præſtigiis ſibi immiſſos putant, Ætius ſect. 2. tetrab. 2. c. 9. Item litteratus ille, qui affirmabat gallinam illi locutam fuiſſe, & faſcinationis qua corripiebatur authorem propriam conjugem indicaviſſe. Vel qui cum Dæmone ſe loqui putant, vel diabolos cernere, vel à dæmone ſe obſeſſos credunt, de quibus videri poterit Petr. Borell. cent. 1. obſervat. 50. & 27. vel Valeſc. de Taranta Philon. lib. 3. cap. 15. Notabilis quoque eſt hiſtoria, quam refert Barthol. cent. 1. hiſtor. Anat. 85. Ubi ſcribit; bonarum literarum Studioſus non uno nomine mihi charus, conſtitutione corporis Melancholic⁹, mœtore ex morte ſororis fractus & lucubrationibus attritus, de diaboli inſidiis apud me conqueritur: affirmat ſe ſentire malum ſpiritum per anum ingredi cum vento, ſurſumq; in corpore ſuo repere, donec caput occupet, ne ſacris ſolita cum devotione vacare poſſit; Eundem vero eadem via deſcendere & exire, quando ad preces & lectiones ſacras accingitur. Ante hæc ſe inaudita lætitia fuiſſe perfuſum ex aſſiduis precibus & vigiliis, ut concentum etiam cœleſtem exaudiverit, ſpretisque mortalibus omnia in pauperes erogaſſe: nunc defervente pietate ob nimium cibi apetitum & ob turbatum iſto vento cerebrum cujuſdam in cerebro vocem ſe exaudire blaſphemiam exprobrantis, tundentes pugnos ſe ſentire & fœtorem ante nares obverſantem. Unde Melancholia hypochondriaca optimum juvenem tentari ex recenſitis ſignis divinavi.

XXII.

Paulo fuſior fui in repetendis jam dictis hiſtoriis, ut inde facilius pateat, variantia admodum eſſe Melancholicorum delitia; & ea eo usq; interdum homines deducere, ut ſe à Deo deſertos & à diabolo obſeſſos eſſe imaginentur. Indeque facilius credi poſſit, quod eloquitur Heurnius in re-

 ſpon-

ſponſo de lamiis, ubi hæc habet; quamvis quidam, teſte maximo Medico Aretæo, per morbos futura prævident & prædicunt: Et quidam, ſine Dæmone, in morbis variis loquuntur linguis &c. (videatur &c.)

Item ibid. Fœminæ, quæ in ſuſpicionem Magiæ ob imaginationes Melancholicas trahuntur, plerunque Melancholicæ ſunt, id ut firmiſſimè credam, præ cæteris duo exempla ab Excell. Dn. Præſide mihi communicata, perſuadent. Erat nimirum in Sileſiæ pago Langölſæ molitoris ejus uxor, fœmina pia & honeſta, quæ eâdem Melancholiæ ſpecie correpta, ſibi perſuadebat, ſe undiq; diabolis cinctam & Magiæ Diabolicæ optimè gnaram eſſe; narrabat ſæpius, ſe cum diabolo rem habuiſſe, jam choreas duxiſſe, jam jumenta, jam oves hic vel ibi interfeciſſe: quæ omnia tamen nullibi facta: quin potius curâ dextrâ adhibitâ, brevi temporis ſpatio rectè convaluit, nec unquam ad finem vitæ usque de veneficio vel Magia Diabolica ſuſpecta fuit. Alterum verò exemplum adhuc clarius id confirmat; fuit virguncula Nobilis in Sileſia duodecim nî fallor annorum, ſoror commilitonis Excell. Dn. Præſidis, quæ à parentibus ſeverius & frequentius punita, tandem in Melancholica deliria incidit. cumque parens ejus ex equo ebrius delapſus & fracturam ulnæ paſſus, domum reverteretur, ipſa ſibi perſuaſit, arte Magica ſe hoc effeciſſe. Cumque id liberè confiteretur, interrogata fuit, à quonam iſtam artem didiciſſet? reſpondit à vetula quadam ruſtica ex ſubditis parentum, quam cum nominare neſciret; crediderunt parentes diabolum ſub ſpecie anus comparuiſſe, & illi artem Magicam ſuppeditaſſe. Hinc miſeram captivam in ſingulari carcere detinuerunt, ubi & ad parentum mortem usq; commorari coacta fuit. Cum vero imminuta nonnihil Melancholia ad ſe rediiſſet & nihil niſi preces effunderet, nulliusq; criminis, nedum magiæ diabo-

licæ

licæ ſuſpicionem incurreret, ex carcere dimiſſa, pia & felix mater duorum librorum adhuc vivit & ſæpius parentum inſaniam ridet.

XXIII.

Cum igitur ex hiſtoriis jam citatis haud difficulter colligi poſſit, Melancholiam eſſe deſipientiam ſine febre & furore, plerumq; cum metu & triſtitia ſolis, interdum per intervalla aliis affectibus absque cauſa genuina comitatam, à tenebricoſo phantaſmate, ſpirituumq; animalium craſſitie, tenebricoſitate & ſegnitie ortum ducentem: facile quivis intelligit nobis Melancholiam putatitiarum ſagarum nihil aliud eſſe, quam deſipientiam Melancholicam, qua affectæ ſibi perſuadent ſe ſagas eſſe & opera ſagarum perficere, licet nullum pactum cum diabolo habeant.

XXIV.

Dum deſipientiam vocamus; ſimul affectum noſtrum in ſymptomatum actionis depravatæ claſſem reponimus: Actio enim princeps, imaginatio nempe, à tenebricoſo phantaſmate ſive ideali ſpectro, ut quidam vocant, ita deluditur, ut exinde ægra ſe diaboli mancipium eſſe & Magiam diabolicam exercere, vaniſſimè credat.

XXV.

Sunt quidem, teſte Sennert. & Tap. in loc. cit. haud pauci, qui ſtatuunt non ſaltem imaginationem, ſed & interdum ratiocinationem illæſa phantaſia: interdum & ratiocinationem & imaginationem ſimul lædi, unde Avicen. lib. 3. fen. 1. tract. 4. cap. 18. ſcribit: Dicitur Melancholia exiſtimatio imaginationum & cogitationum a curſu naturali ad corruptionem, & ad timorem & ad malitiam; propter complexionem Melancholicam; facientem pavidum ſeu triſtantem cerebri ſpiritum, cui adſtipulatur Abumeron Avenzoar tract. 9. c. 15. Dum Melancholiam vocat privationem intel-

lectus ex frigiditate. Sed rectiſſime hæc opinio a Græcis rejecta eſt, & inter recentes etiam improbata ab Amico meo honoratiſſ. Celeberrr. Dn. D. & Profeſſ. Waldſchmid *Archiatr.* Haſſiaco digniſſ. in Collegii ſui pract. Diſp. 10. De Phrenitide, Melancholia, Mania & Hydrophobia pag. 6. Licet enim quidam haud infimæ notæ Medicus tres faciat gradus Melancholiæ, & in primo gradu, ubi nempe Melancholici tantum triſtes, moroſi, tetrici ac ſolitarii reponuntur, imaginationem ſolam lædi contendat. In ſecundo gradu, ubi Melancholici timidi, vagabundi, anxii & horrenda ſibi perſuadentes locantur, non ſaltem corruptam imaginationem, ſed aliquo modo turbatam ratiocinationem exinde probet, quia ægri non poſſunt amplius de phantaſmatibus ſibi objectis recte judicare, an vera an falſa ſint: ſed incipiunt dubitare, variis ſuſpicionibus vexari & conſilia ſana ſpernere, atq; adeo circa objecta certa; delirare, de cæteris vero recte ſentire. In tertio vero gradu, ubi ſtulta quoque loquuntur & agunt, absque tamen furore, imaginationem & ratiocinationem maximè depravari ſtatuat; quod utraque maxime erret circa objectorum apprehenſionem, compoſitionem & diſcurſum; imo ſubnectat aliquando ratiocinationem lædi: rectius tamen & verius alii cum jam laudato Dn. D. Waldſchmid, negant ratiocinationem in Melancholicis lædi niſi ſaltem per accidens; Mens enim in ſuis cogitationibus (*ſunt verba Autoris*) aliter non errat, quam quod judicet de impreſſis, ac ſi revera perveniſſent ab illis objectis quæ olim eundem ſpiritibus animalibus imprimebant motum. Neque errorem iſtum incideret, ſi a corpore eſſet libera: aſt cum corpore juncta, ope radiationum ſpirituum animalium, rerum ſenſibilium extra ſe poſitarum haurire teneatur notitiam, ut de illis ratiocinetur, mirum etiam non eſt, quod hallucinetur ſæpius. Quemadmodum enim

citha-

citharœdus cæteroquin peritiſſimus nunquam non diſſonantes exprimet cantilenas, quoties quis chordas nunc relaxat, nunc intendit; quæ antea harmonice pulſabantur; ſic varia ſemper orirentur in ratiociniis deliria; quoties harmonia illa tollitur in filamentis cerebri leni ſpirituum animalium afflatu pulſandis; ita ut ratiocinatio ex accidente ſaltem erret.

XXVI.

Sed redeamus ad deſcriptionem: diximus eſſe deſipientiam; quia illi, qui falſum pro vero arripiunt, & firmiſſime credunt, & quæ nuſpiam interdum ficta vel picta adſunt, revera adeſſe ineptiſſime ſibi perſuadent, deſipere dicuntur, cum judicio aberrent, licet hoc in noſtris Melancholicis, ut diximus, ſaltem fiat per accidens.

XXVII.

Addimus vero in deſcriptione noſtra, affectum hunc eſſe deſipientiam Melancholicam; quia in ſagis noſtris putatitiis adeſt delirium triſte & meticuloſum, quod pro ſigno pathognomonico affectus Melancholici proprie ſic dicti, ab antiquis & modernis Medicis Practicis recipitur.

XXVIII.

Subjungimus differentiam, nempe qua affectæ ſibi perſuadenr ſe ſagas eſſe, & opera ſagarum perficere, licet nullum pactum ipſis cum diabolo intercedat, ut diſtingueremus tum ab aliis Melancholiæ ſpeciebus: tum à ſagis diabolicis, & cauſas ſimul tacite quaſi oſtenderemus, de quibus jam agere placet.

XXIX.

Hîc vero Authores de Melancholia in genere æque ac de putatitiarum ſagarum in ſpecie diverſas fovere videntur opiniones; Galenus humorem Melancholiam dictum cauſam eſſe voluit, hinc ejus ſequaces, alii quartam partem

maſſæ

maſſæ ſanguineæ, nempe Melancholiam alimentarem cauſam affectus noſtri eſſe finxerunt; Videatur Herc. Saxon. pract. med. cap. 16. Alii bilem atram per Melancholiam intelligunt. Alii ſanguinem frigidum & ſiccum cum Paracelſo, Alii ſanguinem fæculentum cum Sennert. Herc. Saxon. & plurimis aliis: Alii ſuccum Pancreaticum cauſam hujus mali eſſe autumant, cum **Mohr**/ in Diſp. Inaug. Rinth. ſub Dn. D. Johrenio, habita, Alii tamen ſuccum pancreaticum negant, Alii qualitatem acidã huic ſucco adimunt, atq; adeo principia ipſa rejiciunt. Alii partem ſanguinis acidiorẽ cum Paracelſo: Alii ſerum acre & corruptum, cum inſigni illo Chymico Borri; Alii ulcera & tumores: Alii cerebri & cordis, vel uteri, vel totius ſanguinis pravam diſpoſitionem: Alii menſtrua ſubſiſtentia: Alii externa ſibi adverſa ſive infortunia, Multi ſpiritus opacos, craſſos & in motu ſegnes: Alii etiam alias cauſas agnoſcunt.

X X X.

In tot Authorum diverſis opinionib⁹ vel laudandis vel refutandis, nec operoſi nec ingenioſi eſſe volumus: imprimis cum multæ ex illis ſano ſenſu & pro diverſa conſideratione veræ ſint, nec à ſe invicem diſcrepent: quin potius, quæ nobis probabilior videatur, ſententia aperimus.

X X X I.

Notum eſſe credimus, plurimas ex putatiis ſagis eſſe ſenio confectas, paupertate vel aliis miſeriis preſſas, menſtruis deſtitutas, vili & pravo victu utentes, timore & metu nec non opprobriis & calumniis ſubjectas, cum à multis perverſis hominibus audire cogantur, **Es iſt eine alte Hex.** Unde facile nobis perſuademus, cauſam proximam ſymptomatis hujus eſſe, phantaſmata horrida & terrifica, pro diabolica imagine recepta in ſpiritibus opacis, craſſis & ſegnibus, unde hiſtorias de ſagis diabolicis audientes, imaginatione dicto modo facile decipiuntur, ut ſe ſimiles illis credant.

Cum enim ſeniσutplurimum ſint convectæ,(quod ob debilitatem viſcerum, & conſuetæ menſtruæ purgationis defectum, vitioſos humores abunde generat) timorem, ſuſpiciones, terrores, triſtitiam, curasq; perpetuas comites habeat; imprimis in pauperculis, ubi accedit prava diæta mirum non eſt, ſi cæteris paribus, ex pravo cibo pravus chylus, ex pravo chylo vitioſus ſanguis, & ex hoc vitioſi ſpiritus(ex quibus phantaſmata horrenda oriuntur.)generentur, & ita tandem talis imaginationis depravatio falſaq; perſuaſio ſequatur. Spiritus autem craſſos eſſe credimus; quia diu retinentur ideæ in illis impreſſæ, ut fuſius docet cit. loc. Celeberr. Waldſchmid; opacos & à naturali ſua activitate deflectentes eſſe conjicimus; quia nigra & terrifica, ſpectris ſimilia phantaſmata à noſtris Melancholicis concipiuntur; proindeq; etiam ſegnes&ad motum debitum ineptiores eos exiſtere, Partim ex illis quæ diximus, partim ex aliis phænomenis Melancholicis familiaribus, patet. Quos ſpiritus acidos inſtar ſpiritns ſalis eſſe probant Williſ. cit. loc. & Johrenius in prax. Chym. ſect. 1. c. 3. Cum quibus & Paracel. jam ante cit. loc, convenire videtur. Et ego hæc omnia pluribus clariusq; deducere conceperam; Sed quum abituriens Excell. Dn. Præſes prælum Typographi feſtinare, meq; brevem eſſe jubeat in conflictu tamen, ubi occaſio dabitur, illud efficiemus.

XXXII.

Signa Diagnoſtica cauſarum ex notis fontibus facile hauriuntur.

Signa pathognomonica affectus noſtri jam ſupradedimus.

Signa diſtinctiva etiam ex illis, quæ partim in deſcriptione affectus hujus, partim in antecedentibus diximus, facile colliguntur. Ridiculum eſt, quod vulgus credit, ſignum illud in diabolicarum ſagarum pupillis nullam vel

inverſam apparere imaginem adſtantis: Item illas non poſſe intrare domum, in cujus foribus ſuſpenſum ſit hypericon & anetum vel ſimilia. Neq; natatio in aquis; neq; ſomnus in ſella acuta vel ſub torminibus; neq; confeſſio tormentis extorſa, vel confeſſio & accuſatio aliarum ſagarum (de quibus fuſius in probatione ſagarum Authores Juridici agunt) hic infallibilia ſigna ſuppeditant, quibus diabolicæ à noſtris Melancholicis ſagis certe diſtingui poſſunt. Uti enim infenſiſſimus humani generis hoſtis & mille fraudum artifex innocentiſſimis piis libentiſſime inſidias ſtruit, & homines variis modis facillime decipit: ita etiam revera per dictas probationes ſagarum judices deceptos & innocentes crudeliſſime punitos fuiſſe, hiſtoriæ, quas feſtinatio hic addere prohibet, abunde loquuntur. Cautiſſime igitur & ex lege Chriſtianæ charitatis hic agendum videtur, ita ut nulla pro ſaga diabolica declaretur, quæ indicia exhibet affectus Melancholici. Sed hæc de ſignis diſtinctivis.

XXXIII.

Sequuntur jam ſigna prognoſtica. Melancholicum affectum eſſe, quamvis non tutum; per ſe tamen lethalem eſſe, Sennert. de Melanch. p. 347. non concedit. Idem Melancholiam per conſenſum facilioris curationis eſſe, quam per eſſentiam ſtatuit. Melancholia quæ cum riſu eſt; facilior curatu, quam quæ cum mœrore & triſtitia. 7. aphor. 53. Melancholia inveterata & hæreditaria rariſſime curatur; quia ſpiritus animales longiſſime à Craſi ſua abiêre. Waldſchm. Diſp. cit. Ex morborum Melancholicorum periculoſo decubitu, vel corpris ſyderatio, vel convulſio, vel mania vel cæcitas, denunciatur. 6. aphor. 56. Virium reſolutio, cibi potusq; recuſatio perſeverans, ſomnus depravatus, animi mœror, interitum Melancholici ægrotantis indicant. Sennert. loc. cit. 348. Frequenter etiam hic affectus tempore verno ex humorum diſpoſitione & decubitu in Apoplexiam,

con-

convulſiones, epilepſiam & maniam tranſit. 6. aphor. 50. Si Melancholica materia per metatheſin ad partes ignobiliores detrudatur, vel per varices, vel per hæmorrhoides vel cutaneos affectus, artis præſidiis eadem ſuperatur; Quod & Hipocr. confirmat 6. aphor. 21. Inſanis ſi varices aut hæmorrhoides ſupervenerint, inſaniæ fit ſolutio. Melancholia, quæ habet intervalla lucida rationis, plerumque eſt curatu facilior. Facilius itidem evaneſcit delirium Melancholicarum ſagarum, ubi fides nulla ipſis adhibetur. Ceſſante triſtitia & mœrore, plerunq; etiam tollitur delirium, qua ſe ſagas eſſe credunt; Sed hæc de prognoſticis.

XXXIV.

Properamus jam ad Curationem: hanc quo minus in ſe ſuſcipiat Medicus cordatus, illud obſtat, quod plerumq; Melancholia nid⁹ diaboli eſſe dicatur, & idem in hac ſpecie maxime timendum ſit; Nam mille fraudum artifex & infenſiſſimus humani generis hoſtis debile & aptum hujuſmodi ſubjectum occupare non negliget: quo facto inanis erit Medici curatio, & ars ipſa aliorum opprobriis facile exponetur.

XXXV.

Quamvis vero in hac opinione inter alios ipſum Sennertum eſſe videamus: tamen, ut tales miſeras ægrotas deſeramus, nec pietas, nec ratio ſana, nec experientia, ſuadent. Licet enim haſce Melancholicas diabolus, ſi Deus permittat, facilè decipere poſſit; tamen an ſemper hoc fiat toti dubitamus; Qnin potius contrarium nobis perſuademus, conſcii Clementiæ Divinæ & promiſſi ejus, quod contritis corde & triſtibus Spiritu ſuo Sancto adeſſe velit.

XXXVI.

Cum quoq; nullas alias, niſi naturales affectus noſtri admittamus cauſas, per naturalia media & remedia illas etiam tolli poſſe confidimus: imprimis cum aliquas jam curatas fuiſſe conſtet. Chriſtiana itaq; charitas prohibet, ne miſeras

tam miſero in ſtatu deſeramus: ſed ſub onere ſuccumbentes, quantum in nobis eſt, divina aſpirante gratia, ſublevemus, & Deo, proximo, ſibi ipſis & ſanitati, reſtituamus. Quapropter ut hoc impetremus, ſeriò orandum & curandum eſt, ut ſit mens ſana in corpore ſano.

XXXVII.

Haud parum itaq; intererit Medico curationem ſuſcepturo ſcire, an putatitia hujusmodi ſaga per cauſas externas: an potius per internas primordia delirii ſui ſuſceperit. Si enim conſtet talem putatitiam ſagam ſubitò ex lauto ſtatu in ſummam miſeriam præcipitatam, & multorum calumniis & opprobriis obnoxiam fuiſſe, taliq; in loco vixiſſe, ubi frequens de ſagis & earum operibus diſcurſus eſt, & ubi his rebus pronior & plenior quam par eſt, adhibetur fides; phantaſiam per animi pathemata corruptam, prius per contraria in viam reducere conveniet: Ubi è contra vitio ſanguinis, Cerebri aut inquinamentorum, ſpiritus malum hoc contraxerunt, Pharmacia & Chirurgia præcedant neceſſe eſt. In priori enim caſu, cum tales Melancholicæ, ſe rectè valere credant, haud facile Medicam curationem admittent, nec admittentes emolumentum optatum ſentient, niſi ceſſent prius cauſæ illæ externæ. Paupertate dejectis itaq; continuata liberalitas; Ab inimicis oppreſſis, auxilium potentum ſuccurrat neceſſe eſt, priusquam ope medica aliquid effici poſſit. Neq; enim perſuaſio ulla quicquam efficiet, ubi adhuc objecta eadem non ceſſant eodem modo movere ſenſus.

XXXVIII.

Ubi igitur remota erunt obſtacula, non ſaltem Medici, ſed & Theologi, vel alii huic negotio apti, læto vultu ægram aggrediantur, quantum poſſunt per conſcientiam, primum cum ea deſcendant, quodammodo approbando ejus deliria, donec benevolentiam ſibi conciliaverint: poſt ſenſim ac ſenſim opinionem ejus in dubium deducant; & tandem argumen-

mentis multis & gravibus delirium detegant, & impugnent, ut convicta, ad ſe tandem redire neceſſe habeat. Hic verò in perſuaſore aſtutia cum eloquentia, blanditiæ cum conſtantia, doctrina cum liberalitate, certent neceſſe eſt: Nec unus Athleta perpetuo adſit, quin crebra potius mutatione perſonarum & argumentorum nauſea præcaveatur, & delirium caute expugnetur.

XXXIX.

Neq; enim hic placet crudelior iſte modus, quo virgis & plagis Melancholicas ad ſanam mentem, quidam pellere volunt; Præterquam enim, quod afflictis non addenda ſit afflictio; de his miſeris timendum eſt, ne crudelius exceptæ ſibi ipſis violentas manus deſperabundæ inferant: quod aliquoties factũ eſſe exempla loquuntur. Hic vero ad ſpecialiora deſcendere non libet: ſufficiat ſaltem in genere hoc adjeciiſſe; quodvis hujusmodi individuum ſingulare verè requirere antidotum.

X L.

Interim ſola perſuaſione, (niſi fortè in malo recentiſſimo) vix curabitur ægrota; cum non ſolum motus ſpirituum irregularis hic peccare credatur: ſed & ipſa ſpirituum ſubſtantia in his ægrotis craſſa & tenebricoſa præſumatur. Quapropter ut ſpiritubus naturalis luciditas & ſubtilitas reddatur, curatione Medica opus eſt. Contrahunt vero ſpiritus dictam vitioſam diſpoſitionem, ut docet Sennertus prax. lib. 1. part. 2. cap. 8. p. m. 345. aut vitio ipſius cerebri, aut ſanguinis, aut ab aliis inquinamentis. Nolumus vero hic agere de curatione Melancholiæ per conſenſum, ſed de cura Melancholiæ, quam eſſentialem vocant; Cum hæc ferè ſola hic locum habeat. Hauritur autem ea ex triplici fonte; Chirurgico, Pharmaceutico & Diætetico.

Primum quod attinet, cum ex antecedentibus conſtet, qualem hic præſupponamus Melancholicam, non poſſumus cum Clariſſ. Johrenio V. Sectionem

diſuadere S. M. cum hæc cautè adhibita & ſanguinem eventilare & circulationẽ ejus, ipſumq; fluxum menſtruum promovere poſſit, rectè nos illam admittere credimus. Neque enim in noſtris Melancholicis tanta inopia ſanguinis & ſpirituum adeſt, qualem quidem laudatus Author præſupponit. Quæ vero vena quotiesq; ſit aperienda & quantum ſanguinis mittendum, determinare hîc exactè non licet; cum hæc potius prudentia Medici docti, habito reſpectu ad individuum, demum exactius docere poſſit. Nec abhorremus in malo pertinaci hæmorrhoides ægrotis noſtris excitare, vel ſangui ſugis vel cucurbitulis cum ſcarificatione ſanguinem minuere. Imo & fonticulos hìc ſymbolum ſuum addere poſſe credimus. Sed ad pharmaciam.

XLI.

Vomitoria hic convenire nulli dubitamus; cum enim in omnibus ferè capitis affectibus mirandnm ſæpe præſtent auxilium hic quoq; nocere non poſſunt ritè adhibita: Non ſaltem enim materia peccans in ventriculo hærens eliminatur, ſed & violento iſto motu cerebrum ipſum quaſi expanditur, humores in fluorem deducuntur & deturbantur, ſpiritusque ipſi quaſi excitantur, & ad motum naturalem quodammodo reducuntur.

XLII.

Non damnamus etiam digeſtiva & præparantia, purgantia & diuretica vel diaphoretica, & roborantia vel præſervantia dicta. Ex priorum numero laudat Clar. Johren. prax. Chim. ſect. 1. c. 2. p. m. 25. Acidum Tart. chalyb. tinct ♂. Magiſt. ♂. aperit. Mynſicht. &c. quibus nos, experientiâ edocti merito ſane ſuo addimus tinct. anodynam Excell. Dn. Præſidis in ▽ Meliſſ. vel alio apto vehiculo exhibitam; item ♌ fuliginis, Sal Tart. liquidum & ſimilia: Uti enim ♌ vitr. & nitri vel ad oculum ſerum ſanguinis coagulant & in gelatinam vertnnt: ita è contra liquor ille Tart. & ſpiritus fuliginis idem attenuant, fundunt, expandunt, & coagulatum ſolvunt.

XLIII.

XLIII.

Quoad purgantia non improbamus catarctica parata ex fol. Sen. Helleb. nigri. epyth. fumar. aſar. gialap. vel ▽ bened. Ruland. croc. metall. tartariſ. ſive tart. Emet. Mynſicht. auro vitæ Kegleri ſulph. ♁ii aurato, ♁io fixo, flor. ♁ii &c. Præferimus tamen uſum medicamentorum ex lap. lazuli rite paratorum, de quorum efficacia laudabili ſecuri ſumus. Inſigne eſt Magiſterium illud Sachſianum ex lap. Lazuli, quod deſcribit Bauſch. de Cœrul. c.7. p.78. ſequentib. verbis ℞. lap. Lazuli pulver. q. ſ. abſtrahe ab eo ſepties 🜂. vini & rurſus inde 🜂. vini, digere per 10. dies; abſtrahe: Tandē urge vehementi igne, mutato recipiente, ut pars volatilis Lazul. tranſeat, remanentiæ affunde priorem 🜂. vini, rurſus digere, ſic lap. lazul, tandem totus tranſit alembicum; Dos. gr. XV. XX. in Melanchol. calcul. & morbis tartareis. videri poſſunt & aliæ præparationes egregiæ cit. l. & paſſim in ſchediaſ. poſthumo.

XLIII.

Diuretica & Diaphoretica haud contemnenda ſequuntur; Diuretica exhibent ſal lumbric. terreſtrium vel cochlear. terreſtrium, vel millepedum ritè præpar. item ſal bufonum, ſerpent. geniſt. ononid. juniper. fraxin &c. Diaphoretica (quæ tamen caute adhibenda) ex ſalibus volatilibus convenient, qualia vel ex herbis vel tart. vel ſuccin. & ſimil. parari ſolent.

XLIV.

Ex roborantibus uti vocantur, laudat Paracelſ. ☉. potabile, quod nî fallor putabile eſt, quum verum nunquam adhuc viderim. laudat item tract. 2. de morb. ament. c. 5. p.582. oleum, ☉. ☾. ♂. ☿. ♀. ♄. ♃. ſolutionem corall. cryſtall. gemmar: perlar. quint. item eſſent. metall. meliſſæ, chelid. carlin. helleb. utriusq; , ▽ vitæ auream, caponis, ſanguinis &c. Nobis eſſent: Cinamom. meliſſæ, ambræ, tinctur. corall. ▽ mirab. Danic. & ſimil. quæ magis nota & familiaria ſunt. Laudant & hic meritiſſimè uſum acidularum, imprimis Schvvalbacenſium

ſium Horſtii, & ex illis ſæpius laudat. Dn. Waldſchmid. & alii: Unde ſanè haud parva ſpes reſtitutionis ægrotis exoritur: Quia & longè mitiores & aliis ingredientibus donatæ Damaicenſes, miracula ſæpe in Melancholicis præſtent.

X L V.

De externis medicamentis agere hic ſuperſedeo; quum hæc apud practicos paſſim inveniantur abunde deſcripta. Quapropter etiam hic filum de pharmacia abrumpo.

X L V I.

De Diæta fuſius agit inter alios Sennert. cit. loc. & Jacobus Tappius in diſſertationibus de principum ſeu ſenſuum internorum functionibus læſis. c. 2. §. 48. & ſequentib.

XLVII.

Nos ſuadebimus imprimis, ut ægrota hauriat aërem naturâ vel arte purum & ſerenum calidum & humidum, optime odoramentis refertū: Melancholici enim præ cæteris admodum afficiuntur odoribus gratis. habitet porro in loco unde proſpectus datur lætus & amœnus, qui continuo fere frequentatur ab hominibus lætis, vel gaudii cauſa convenientibus. Muſicam crebro audiat; quantum enim Muſica poſſit in demulcendis hominum animis & affectibus patet ex Diſput. Med. de Muſica, quam Celeberr. & Excell. Dn. Doct. & Prof. Franck. anno 1672, habuit. Cibus in genere ſit bonæ nutritionis facilisq; concoctionis, calidus & humidus: potus ſit vinum tenue, odoriferum, diureticum, quale Moſellanum. Motus non ſit violentus; ſed tamen frequens: quem quies excipiat moderata. Somnus nec diurnus eſto nec longior. Excernenda imprimis non retineantur, nec retinenda excernantur, ut hæmorrhoides, menſtrua ſubſiſtentia vel nimium fluentia: Animi pathemata quod concernit, de iis ſupra jam egimus, & denuo monemus, ut quovis modo, terror, mœſtitia, curæq; caveantur: gaudium vero invitetur & conſervetur quàm diligentiſſimè. Et hæc pro ratione inſtituti dixiſe ſufficiat.

F I N I S.

COROLLARIA.

1. *Omnium metallorum & mineralium tinctura & eſſentia datur.*
2. *Lapis Philoſophorum in rerum natura eſt.*
3. *Nulla datur Saga, quæ per ſe et propriis viribus operetur.*
4. *Neq; Paracelſus, neq; Baſilius Valentinus, neq; Cornelius Agrippa, neq; Trithemius Magus diabolicus fuit.*

PERERUDITE OHMI,

EXamuſſim *Hermolaus* olim: Ἀτέκμαρτος ὁ πᾶς βίος, ἐδὲν ἔχων πιςόν! Idem accidit ſcientiis ingenuisque artibus. Mutant homines, & indies ab hominibus mutantur! Sic olim, *quod apud plurimos lego, Perſarum lingua Magus eſt, qui noſtra* Sacerdos: ſcil. *ritè noſſe, atq; ſcire atq; callere leges ceremoniarum, fas ſacrorum, jus religionum! Siquidem* Magia *id eſt, quod Plato interpretatur* θεῶν θεραπείαν, ſunt verba Apuleji in Apolog. p. m. 144. Hactenus vero longe audit aliter. Recte igitur facis, PRÆSTANTISSIME JUVENIS, qui pro gnavo in Arte & Natura Tuo ingenio, atq; curatura doctiore Magorum mo-

dernorum ægrimoniam deformem, ſæpe inſcienter labantem è Syrtibus τ̃ βαναυισῶν in aliquod ſalutare quaſi educis vadum. Laudo ardorem & ſollertiam tuam diligentiſſimam, qua te vere γνήσιον Filium Patris Optimi Viri Pl. Reverend. atque Præclariſſimi DN. IOH. GEORG. OHMII Eccles. ad S. Spirit. Paſtor. Prim. Viri rerum naturalium apprime experti, Fautoris atque Amici mei dulciſſimi probas, inſimulque conteſtaris

FORTES creari FORTIBVS & BONIS!

Ὑπερασπιστὴν habes Celeberrimum WINCLERUM, πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων! Ita Muſæ Corollam non immarcescentem vertici tuo; ſiquidem ἐκ θυμῷ φιλέοντι, ex animo amant, uti canit Bion in Bucolicis.

Epicharmus oppido bene:

πρεπόντων πόνων πωλῦσιν ἁμῖν πάντα τ' ἀγάθ' οἱ θεοί.
Convenientibus laboribus vendunt nobis omnia bona Dii!

Et hoc ſolamini eſt egregio:

Τῆς ἐπιμελείας δῦλα πάντα γίνεται:
Omnia diligentiæ ſubjiciuntur!

veriſſime ita judicante Antiphane apud Stobæum *Serm.* XXVII. Perge OHMI Nobilis!

Eja caret nunquam ſic OHMIVS omine fauſto:
Si Superi faveant, omina fauſta ſatis!

PP. ὡς τάχιστα ἀλλά μὲν ἀνυποκρίτως è Muſeo meo Heidelberg IV. id. Novemb. CIↃ IↃC XXCI.

GEORGIVS FRANCVS.
Med. & Phil. D. & Prof. P.
Elect. Univerſ. Pro-Cancellarius, Nat. Cur. Colleg.

(o)